

Si tu ne sais bien esquiver
Tu chanteras triste chanson.

La complainte que Jacopone faisait retentir aux oreilles du saint était fort triste et inconvenante : ce malheureux ne sentait que trop le poids des prébendiers, des trafiquants et autres dont parle le frère, et contre lesquels le bon pape ne savait pas se défendre. Ses angoisses, en effet, se révèlent assez haut dans les paroles que l'on entendit s'échapper de son cœur dans la cellule qu'il s'était fait élever au château de Naples. Le lecteur ne nous accusera pas, nous ou Stefaneschi, sur la foi duquel nous les rapportons, de les avoir fabriquées : le saint les prononça réellement, et il les répéta lui-même à cet auteur, qui l'affirme dans les vers suivants :

..... Et meditans sibimet lacrimabilis inquit
(Ut nos viva patris docuit vox).

Devant le témoignage d'écrivains nombreux et d'une incontestable autorité ; en face des véritables raisons qui portèrent saint Pierre Célestin à abdiquer, il nous semble que la version de Ferreto, si avidement accueillie par la foule, ne peut pas être considérée comme l'expression de la vérité. Le lecteur remarquera, d'ailleurs, que le récit de l'écrivain de Vicence ne repose que sur des on dit : « ut perhibent; ferunt, » sur les bruits qui couraient de son temps : or nous demandons de quelle valeur ils pouvaient être, alors que l'opinion avait été faussée par le libelle diffamatoire des Colonne et par le procès intenté par Philippe-le-Bel à la mémoire de Boniface? Les Colonne, et principalement Jacques, le cardinal, qui était à Naples et assistait à l'abdication de Célestin, auraient-ils ignoré les artifices de Cajétan? Et s'ils les connaissaient, leur charité envers l'implacable Boniface les leur aurait-elle fait passer sous silence, quand ils criaient si fort à la fausseté de sa mission?

DOCUMENT (F).

PROFESSION DE FOI DE BENOÎT CAJÉTAN LORS DE SON ÉLÉVATION A LA PAPAUTÉ.

In Nomine Sanctae, et Individuae Trinitatis, Anno Dominicae Incarnationis 1294. Indictione viij. Ego Benedictus Caietanus Presbyter Cardinalis, et electus, ut fiam per Dei gratiam hujus sanctae Sedis Apostolicae humilis Minister, profiteor tibi, B. Petre Apostolorum Princeps, cui Claves Regni Coelestis ad ligandum, atque solvendum in Coelo, atque in Terra Creator, atque Redemptor omnium Dominus Jesus tradidit, inquit : « Quaecumque ligaveris super terram, erunt ligata et in Coelis, et quaecumque solveris super terram erunt soluta et in Coelis, » sancteque tuae Ecclesiae, quam hodie tuo praesidio regendam suscipio, quod quandiu in hac misera vita constitutus fuero, ipsam non deseram, non abnegabo, non abdicabo aliquatenus, neque ex quacumque causa, cuiusque metus, vel periculi occasione dimittam, vel me segregabo ab ea; sed verae Fidei rectitudinem, quam Christo auctore tradente, per te, et beatissimum Coapostolum Paulum, perque successores vestros usque ad exiguitatem meam perlatam in tua sancta Ecclesia reperi, totis conatibus meis, usque ad animam, et sanguinem custodiam, tam de sanctae, et individuae Trinitatis Mysterio, quae unus est Deus, quam dispensatione, quae secundum carnem est. Unigeniti Filii Domini Nostri Jesu Christi, et de ceteris Ecclesiae Dei dogmatibus sicut in universalibus Conciliis, et Constitutionibus Apostolicorum Pontificum, probatissimorumque Ecclesiae Doctorum scriptis sunt commendata, id est quaecumque ad rectitudinem vestrae rectae Orthodoxae Fidei a te traditionem recipiunt, conservare. Sancta quoque octo universalis Concilia, idest Nicenum, Cons-

tantinopolitanum, Ephesinum, Primum Calcedonense, Quintum, et Sextum item Constantinopolitanum, ad unum apicem immutilata servare, et pari honore, et veneratione digna habere, et quae praedicaverunt, et statuerunt, omnimode sequi, et praedicare, et quaecumque condemnauerunt, condemnare ore, et corde. Diligentius autem, et vivacius quamdiu vixero, omnia Decreta Canonum Praedecessorum Apostolicorum Nostrorum Pontificum, quaecumque Synodaliter constituerunt, et probata sunt, confirmare, et indeminuta servare, et sicut ab iis satuta sunt, in sui vigoris sublimitate custodire: quaeque, vel quos condemnauerunt, et abdicaverunt, simili condemnare sententia, vel abdicare: disciplinam, vel Ritum Ecclesiae sicut inveni a sanctis Praedecessoribus meis traditam, et servatam reperi, non diminuere, vel mutare, aut aliquam novitatem admittere, sed ferventer, ut eorum hic vere discipulus, et sequipedem totius mentis meae conatibus, quae tradita canonice comperio, servare, ac venerari. Si quae vero emergerint contra Canonicam disciplinam filiorum meorum S. R. E. Cardinalium, cum quorum consilio, consensu, directione, et memoracione ministerium meum geram, et peragam, consilio emendare, aut patienter, excepta fidei, aut Christianae Religionis gravi offensione, tua, ac beatissimi Coapostoli tui Pauli patrocinate intercessione tolerare, sacrosque Canones, et canonica instituta Pontificum, ut divina, et coelestia mandata, Deo auxiliante, custodire, utpote Deo, et tibi sciens redditurum me de omnibus, quae profiteor, et quamdiu vixero, egero, vel oblitus fuero, districtam in divino iudicio rationem; cujus sanctissimae Sedi diurna dignatione, te patrocinate, praesideo, et vicem tuis intercessionibus adimpleo. Eris autem in illa terribili die propitius haec conanti, et diligenter servare curanti. Adjutorium quoque ut praebes obsecro in hac corruptibili vita constituto, irreprehensibilis ante conspectum Iudicis omnium Domini Nostri Jesu Christi, dum terribiliter de commissis advenit iudicare, ut faciat me dextrae partis participem, et inter

fideles Discipulos, et Successores consortem. Haec autem Professionem per Notarium, et Scribarium S. R. E. me iubente scriptam, propria manu subscripsi, et tibi, beate Apostole Petre, Apostolorum Principi pura mente et devota conscientia super sanctum Corpus, et Altare tuum sinceriter offero.

DOCUMENT (G).

ENCYCLIQUE DE BONIFACE RELATIVE A SON ÉLECTION.

Bonifacius, etc. venerabilibus fratribus archiepiscopo Senonensi et eius suffraganeis salutem, etc.

Gloriosus et mirabilis in operibus suis Deus, qui cum sit in misericordia copiosus, in hujus orbis orbita plena malis, conferta dissidiis, innumeras miserationes exercet; Ecclesiam suam, quam ipse summus opifex rerum instituit, ac supra fidei firmam petram alta, et solida fabrica stabilivit, opportunis favoribus prosequi non desistit. Assistit enim illi miserator et propitiator assiduus, non obdormiens, nec dormitans in suarum opportunitatum eventibus pervigil custos eius. Ipse siquidem sibi est in turbatione pax, in tribulatione solamen, in necessitate succursus. Tuncque maxime in adjutorium ejus sua pietas larga diffunditur, cum adversus illam mundi nubila tempore calligante levantur, quae inter molestias et afflictiones intrepida, colligens in vexatione vigorem, in ipsa malorum instantia convalescit. Nam divino semper munita praesidio, nec comminationum strepitu deterretur, nec adversitatum superatur incursu; sed in terroribus tutior, et constantior in adversis, pressa praevallet, passa triumphat. Haec est arca, quae per confluentias et multiplicationes aquarum elevatur in altum, et subactis culminibus montium, libera et secunda profundas importuosi diluvii calcat undas. Haec est utique navis, quae, vento contrario

irruente, strepentis maris furibundis motibus agitur: firma tamen et solida fragoribus non dissipatur aequoreis, nec marini furoris rapiditate sorbetur; sed elatas procellas obruens, ac spumosa et tumida freta sternens, triumphanter exequitur suae navigationis incessum, quae ad vitalem Crucis salvificae arborem rectae intentionis alis totaliter elevatis, in coelum semper intenta procellosum intrepide mundi pelagus peragrat, eo quod secum habet seduli gubernatoris auxilium marium praeceptoris. Unde regente illo et dirigente salubriter, ac Spiritu sancto flante, adversitatum quarumlibet nebulis dissipatis, victoriosa peregrinationis liberum agit iter ad patriae coelestis portum supernis nutibus feliciter perducenda: cumque sic adversis innumeris prematur, et turbetur Ecclesia, illa in intimis ipsam acerbius sauciat, duriusque ferit adversitas, cum pastore utili et provido viduatur. Sed licet saepius Ecclesia eadem, pastoris regimine destituta, longe viduitatis lamenta pertraxerit, expectando gemebunda diutius consolationem plenariam successoris; in hujusmodi tamen moeroris nubilo dignanter illi clementia divinae pietatis illuxit, doloribus et necessitatibus suis opportune subveniens per substitutionem optatam et delectabilem novi sponsi, ac eam de amissione prioris interdum inutilis per promotionem mulcebrem accommodi successoris instaurans.

Sane vacante Romana Ecclesia per liberam et spontaneam dilecti filii fratris Petri de Murrone, olim Romani Pontificis, cessionem coram venerabilibus fratribus episcopis, et dilectis filiis nostris presbyteris et diaconis Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, ex certis rationabilibus et legitimis causis factam ab ipso in festo beatae Luciae virginis proximo praeterito, et a Cardinalibus praedictis admissam; cum illam posse sic legitime fieri, et primorum gesta Pontificum, et constitutio declararent apertius, et ad eam etiam faciendam expressus accesserit Cardinalium praedictorum assensus; Cardinales ipsi, considerantes attentius quam sit onusta dispendiis, quam gravia malorum in-

commoda secum trahat proluxa ecclesiae memoratae vacatio; et propterea votis ardentibus cupientes per efficacia et accelerata remedia hujusmodi periculis obviare, die jovis X. Kalen. januarii post festum subsequentem praedictum, missarum solemnibus ad honorem Sancti Spiritus celebratis, hymnoque solito cum devotione cantato, se in quodam conclavi apud Castrum novum civitati Neapolitanae contiguum, ubi tunc idem frater Petrus cum sua residebat familia, incluserunt, ut per mutui commoditatem colloquii ecclesiae praedictae provisio, superna cooperante virtute, celerius proveniret. Die vero veneris immediate sequente praefati Cardinales, mentis oculis erectis ad Dominum, pia desideria benignius prosequentes, in electionis negotio ferventibus studiis, ut praedicta vitarentur incommoda, procedentes; et tandem, cum divina clementia ecclesiae praelibatae compatiens, eam nollet ulterioris vacationis periculis subjacere; ad personam nostram, licet immeritam, intentum animum dirigentes, quamquam inter eos quamplures magis idonei, et digniores etiam haberentur, nos tunc tituli S. Martini presbyterum Cardinalem in summum Pontificem canonice elegerunt, gravis oneris sarcinam nostris debilibus humeris imponendo. Nos autem profunda, et sedula meditatione pensantes difficultatem officii pastoralis, continui laboris angustias, et praecellentiam apostolicae dignitatis, quae sicut honoris titulis altioris attollit, magnitudine ponderis deprimit gravioris; attendentes insuper nostrae multiplicis imperfectionis instantiam, expavimus et haesitavimus vehementer, nimioque concussum extitit stupore cor nostrum. Nam cum ad tolerandas particulares vigilias vix nobis possibilitas nostra sufficiat, ad universalis speculae sollicitudinem vocamur, et intolerabile apostolici ministerii jugum instanter debilitatis nostrae cervici, jugiter supportandum, ac meritorum non suffulti praesidio, ad suscipiendas apostolorum principis Petri claves, et gerendum super omnes ligandi et solvendi pontificium angebamur. Verumtamen ne divinae providentiae opus

impedire forsitan videremur, aut nolle nostrae voluntatis arbitrium suo beneplacito conformare; ac etiam ne corda electorum concordia per nostrae dissensionis objectum ad discordiam verteremus, voluntatibus tandem acquievimus eorundem, ad subeundum jugum hujusmodi nostros impotentes humeros submittendo: non quod de aliqua nostrae probitatis virtute fiduciam habeamus, sed quia in ejus speramus clementia, qui confidentes in se non deserit; sed eis propitius opportunis auxiliis semper adest, quique de sublimi polorum solio Ecclesiam sponsam suam intuetur misericorditer et tuetur, suaeque illam exaltare non desinit copiosis beneficiis pietatis.

Vestris igitur et aliorum suffragiis propter imperfectum nostrum propensius indigentes, universitatem vestram affectuose rogamus, hortamur attentius, et requirimus confidenter, quatenus assidua nos apud aeterni Regis clementiam intercessione juvetis, humilitatem nostram sibi devotis supplicationibus commendando, ut super nos gratiae suae dona multiplicet, et rorem uberem solitae benignitatis effundat, ut actus nostros ad ipsum devotissime dirigentes, Ecclesiam suam, quam nobis committi voluit, salubriter regere, ac de universo ipsius grege, nostrae vigilantiae credito, curam gerere debitam, sicut expedit, valeamus. Nos vero stabiliter in animo gerimus vobis et vestris ecclesiis benignis adesse praesidiis, ac vestrum et earum profectum condignis favoribus promovere. Dat. Laterani IX. kal. febr. pont. nostri anno 4.

DOCUMENT (H).

LETTRE DE BONIFACE A PHILIPPE-LE-BEL.

Celsitudinem regiam rogamus et hortamur attente, ac obsecramus in Domino Jesu Christo, quatenus diligenti meditatione

considerans, quod iudicium diligit Regis honor, metas justitiae curiosus observes, illamque sincere diligere studeas, aequitatem non deserens, clementiam non omittens; ut subjectus tibi populus copiosus in pacis pulchritudine sedeat, et in requie opulenta quiescat. Ecclesiam insuper matrem tuam et ipsius praelatos, nostri utique Salvatoris ministros, caeterasque personas ecclesiasticas ejus obsequiis dedicatas; quin potius in illis Regem coelorum et dominum, per quem regnas et regeris, incessanter et solerter honorans, ipsos regii favoris ope confoveas, et in plenitudine libertatum, aliorumque suorum jurium efficaciter protegere studeas et tueri, sicque in iis, tamquam filius benedictionis et gratiae te geras et dirigas, quod clarae memoriae progenitores tuos, qui erga praefatam Ecclesiam summae devotionis et reverentiae titulis, dum viverent, claruerunt, non solum imitari solite, sed etiam evidenter excedere dignoscaris ad laudem et gloriam Dei Patris, et celebre magnumque tui honoris et nominis incrementum. De nobis autem utpote patre benevolo et sincero, qui te in minori etiam officio constituti affectuose dileximus, et diligere non cessamus, spem certam, et fiduciam firmam gerens in tuis, et ejusdem regni negotiis, et opportunitatibus quae occurrent, ad nos recurrere non postponas. Nam in iis super quibus ex parte regia fuerimus requisiti, libenter, quantum cum Deo poterimus, votis regis annuemus, tam et ejusdem regni prosperitatem omnimodam, non solum studiis conservare sollicitis, sed etiam plenis augmentare favoribus intendentes. Datum ut supra.

NOTE ET DOCUMENT (I).

EMPRISONNEMENT ET MORT DE SAINT PIERRE CÉLESTIN.

Stefaneschi, témoin oculaire, rapporte ainsi le fait de l'emprisonnement de Célestin: « Ut littoribus Vestiae civitatis